

erat, et ut populum rudem legalibus figuris ad futuram veritatem præpararet. Primum effecit per naturalia decem præcepta; secundum per figurativa, ut de agno paschali et similia. Quibus data est? Semini Abrabæ in duodecim tribus, quæ a duodecim filiis Israel processerunt.

Hic potest quæri quare istis solis? Ad quod dici potest, quod ideo illi populo, et non alteri sit data, quia in figura fuit proposita. Unde Apostolus: «Omnia in figura contingebat illis (1 Cor. x, 11),» et sufficiebat in uno ostendere, quod causa figuræ et exempli proponebatur a Deo. Sed nova lex omnibus imperatur, quæ non figura, sed res ipsa figurata erat; et cum essent in populo illo aliqui perfecti, mediocres, pessimi, perfectis in signum fuit data; mediocribus in pædagogum, ut facienda doceret, vitanda prohiberet, errata puniendo corrigeret; pessimis ab irato Iudice in vindictam data est, ut qui in sordibus est, amplius sordesceret. Contra bonis a pio Patre provisum est, ut qui justus est, iustificetur amplius. Quando data est? Quinquagesimo die ab exitu de Ægypto, et immolatione agni paschalis. Sic et nova lex data 1102 est apostolis, id est spiritus scribens in corde, quinquagesimo die post immolationem veri Agni, id est Christi. Ubi? In monte Sina, sicut sermo perfectionem Novi Testamenti continens, quem fecit Christus in monte. In Veteri Testamento sicut in Novo, tria

(76) In hæc verba desinit manuscriptum codex Lyraus, sub ultima ultimæ paginæ linea appositum, quasi ad proxime sequentem paginam referenda, quæ deest, et quam probabiliter aliæ secutæ fuerant

continentur; promissa, sacramenta, præcepta. Promissa Veteris, temporalia bona, unde et Vetus dicitur, in quibus tamen, licet obscure, figurabantur æterna promissa Novi, et beatitudo æterna. Sacramenta illius, ut circumcisio, quæ et ante legem, et observantia Sabbati, sacrificia multa veri Agni Paschalis et similia, quæ cum non essent prius, superaddita sunt in lege, per quam etiam futura veritas manifestius quam prius monstrabatur, etiam adhuc occulta. Sacramenta Novi [testamenti] baptismus, etc. Ideo autem bruta animalia sibi Deus immolari voluit, ut populum in suo cultu exerceret, et eos ab idololatria removeret, ne scilicet ea dæmoniis immolaret. Nunc de præceptis restat dicere. In præceptis comprehenduntur naturalia et figurativa. Naturalia dicuntur illa decem, quæ a naturali lege manant, nec sunt in scripta lege inchoata, sed renovata, quia per peccata erant deleta. Hæc sunt illa decem mandata, quæ et moralia dicuntur, nec sunt terminata in nova lege, imo perfectius adimplata. Figurativa ad tempus data sunt, ad futuram veritatem præsignandam provisum a Deo, et veritate adimplata, finem acceperunt. In illis decem præceptis dilectio Dei et proximi imperatur; tria quæ in prima tabula, ad dilectionem Dei; septem alia, quæ in secunda tabula, quæ ad dilectionem proximi referuntur (76).

ad hujus tractatus integritatem; quod, ut ex præcedentibus conjici potest, non nisi ad magnum legendum, et vel etiam ipsius Catholicæ doctrinæ contigit dispendium.

VEN. HILDEBERTI

BREVIS TRACTATUS

DE SACRAMENTO ALTARIS.

(Ex ms. Colbertino, n. 2262. Nunquam editus.)

1103 Quis capiat intellectus qualiter caro Christi quotidie de cælis ad nos in altare, et ab altari in nos venit, nec tamen cælos deserit unde venit? Utenim a cælis prius venit ad nos Christi divinitas, sic et nunc inde venit ad nos ejus humanitas; utque a cælis venit divinitate, nec tamen discessit inde, sic et nunc a cælis venit humanitate, quæ tamen semper ibidem persistit. Et sicut divinitas venit per humanitatem, ita et humanitas inde venit per divinitatem. Deus tum per humanitatem suam manifeste, et homo nunc per suam deitatem occulte. Tunc Deus sensibiliter, nunc homo insensibiliter. Tunc Deus humane, et nunc homo divine. Nec

homo solum in spiritu suo, sed et in carne sua, nec sine divinitate sua, sed cum sua, et in sua, et ex sua divinitate, et ideo totum geritur divine. Quid enim divinius quam quod Christi corpus, cum caro sit, et non spiritus, cibus tamen est non carnis et corporis, sed spiritus et mentis. Cibus quidem interioris hominis est, nec tamen humanus, sed divinus spiritualiter et divino in spiritum vadens, non se in spiritum convertens, sed spiritum spiritualiter et divine pascens, spiritualiter intrans, spiritualiter operans. Via spirituali a cælis adveniens, via spirituali ad cælum rediens. Quod corpus cum apud nos est, et in cælis est; apud nos quoque diversis in

locis, in altaribus diversis, tempore non diverso. Nec per partes divisum, sed in altaribus singulis totum et integrum; nec alterum et alterum, sed numero unum. *Nec phantasticum, sed verum, nec solum in sacramento, sed in semetipso.* Ipsum enim uno tantum est loco modo naturali, pluribus autem in locis modo virtuali. In uno per naturam, in pluribus per gratiam et virtutem divinam. In uno corporali modo, in pluribus modo spirituali. Non enim corporis est ut in pluribus locis simul esse possit, sed spiritus, nec spiritus fortasse alterius nisi divini, id est increati et incircumscripti; non etiam spiritus creati, et ideo circumscripti. Evenit autem quiddam simile, licet per contrarium 1104 in spiritu divino, vel si potius dicendum est, in spiritu Deo. Quemadmodum enim corpus hoc a Deo assumptum, et corpus Dei effectum, et ideo quodammodo deificatum atque divinum in uno subsistens loco corporaliter et naturaliter, in pluribus tamen est spiritualiter atque virtualiter, sic et contra ipse Deus, quamvis in locis plurimis, imo in omnibus sit spiritualiter et essentialiter, secundum modum tamen aliquem existendi, id est personaliter in uno tantum est loco, in ipso videlicet homine assumpto per gratiam divinæ plenitudinis, ut ait Apostolus (Coloss. II, 9), habitans corporaliter, quod corporis est assumens, et quod suum est corpori tribuens, non mutans, sed socians. Non enim sic intelligendum est spiritum summum alicubi habitare corporaliter, vel corpus suum [f. summum] esse alicubi spiritualiter, quasi vel spiritus alicubi fiat corpus, vel corpus alicubi fiat spiritus; sed quia quod spiritus ille incircumscriptus alicubi juxta quemdam modum existendi, id est per unionem personæ habitat circumscribibiliter, id est ita ibi ut nusquam sit alibi. Hoc sit ad corpus, cujus modus natura est circumscribi. Quod autem corpus hoc simul totum est, in locis pluribus sit ad modum spiritus. Quod ergo dictum corporaliter et spiritualiter, non naturas significat subsistentium, sed subsistendi modos. Non enim propter naturam Dei inhabitantis, sed propter inhabitandi modum ait Apostolus in Christo esse omnem plenitudinem divinitatis corporaliter (ibid.). Corpus vero Christi non solum ad spiritus modum simul totum est in diversis locis, id est in altaribus multis, sed et in singulis quoque, nonnullatenus spiritualem quemdam habet existendi modum. Quamvis enim ubique pro corporis varietate ipsum in se ipso sit sensibile, nobis tamen in altari præsens juxta speciem suam existit insensibile. Unde ipsum et sensibiliter dici potest esse ibi, et insensibiliter. Sensibiliter quidem, propter veram corporis sensibilitatem, et propter sacramenti formam sensibus subjectam; insensibiliter vero quantum 1105 ad speciem, et sensus nostri perceptionem. Non enim ita ibi est, ut ibi in specie sua, illis nostris sensibus percipi possit. Est igitur se-

cundum aliquid ibi corporaliter propter veram, corporis naturam, et sacramenti, ut dictum est, formam, et propter quemdam existendi modum; secundum aliquid vero incorporealiter, quantum videlicet ad actum sentiendi, et modum quemdam existendi. Quod enim sic est in altari, quod vere dici potest, quia in hac parte altaris est, et in illa parte non est. In ea enim est, in qua sacramentum est ipsius, et in illa non est, in qua ejus sacramentum non est, in hoc ad modum corporis in loco circumscribibiliter est. Quod vero non sic est in hoc altari, quin eodem tempore, et modo eodem totum sit alibi, id est in alio quolibet altari, in hoc incircumscribibiliter existit, atque in hanc communem corporum naturam, et subsistendi modum longe transcendit. Nec solum forsitan corporum, sed et spirituum quoque creator in hoc non parum excedit naturam, et subsistendi vincit potentiam. Non ergo in modum subsistendi, quem habet corpus hoc, non ex natura, nec secundum naturam investiges naturam, sed virtutum magis attendas divinam. Non consulas quid soleat et possit facere creata et minus potens natura, sed potius cogites quidnam possit [non post se (77)] gratia et virtus divina, quæ increata et omnipotens est natura, natura innata, unde est omnis tam natura quam potentia. Non igitur hominis ratio solita, solitam sequi naturam, circa hoc insolitum atque divinum, solitas suas afferat, vel recipiat quæstiunculas. Non enim hic habent locum investigationes de illis quæ adjacent modis existendi in loco naturalibus, non autem virtualibus [f. naturaliter, non autem virtualiter]. Hi siquidem illos longe excedunt, et ab illis procul distantes sunt. Non ergo quidpiam hic quærere (quod alias quærere) præsumat sensus, cum [f. cur] corpus Domini scilicet sit in altari, vel in illo quæ ipsius pars, in quo non sit loco. Quæ corporis pars, sub qua sit sacramenti parte, vel quomodo partes sint dispositæ. Quæ sursum, quæ deorsum, quæ dextrorsum, quæ sinistrorsum, quæ ante, et quæ retro, et utrum majorem locum occupet pars corporis major, et minorem minor, cum singulis sub sacramenti partibus, non sint corporis partes singulæ, sed æque sub singulis, ut sub universis partes universæ; id est non sub una partem unum membrum, et sub altera alterum, sed sub unaquaque singula corpus integrum et immensum. Ideo enim et in sacramento per partes diviso, non tamen corpus in partes scinditur, ut et ipsum divisim, et per partes sumatur, 1106 sed sub partibus divisim, et in partibus singulis a singulis percipientibus ipsum percipitur totum atque indivisum. Nulla etiam inferat ratio, quia si corpus hoc totum est alicubi, non est totum alibi, vel si hoc corpore minor est locus, non capit corpus hoc, quod ipso est majus. Vera siquidem sunt hæc, non solum in corporibus aliis, sed et circa corpus hoc juxta modum existendi, qui comitatur naturam, non autem circa eum qui vir-

(77) Videntur hæc verba ab amanuensi inutiliter inserta.

tutem sequitur divinam. Quemadmodum verum est, si qua peperit, cum viro concubunt, verum autem circa pariendi vel concipiendi modum, quem novit natura, non autem verum circa modum quem naturæ non inæertum supra naturam penes se habet auctor et institutor naturæ. Ut autem virtus Dei et in mensa valde transgreditur communem naturæ modum, ita et sensum, præcipue vero humanum corruptum atque infirmum, nec in ullo quidem effectu virtutis divinæ, æque ut in Dominici corporis et sanguinis sacramento, deficere videtur vis rationis humanæ. In aliis fortasse aliquid potest, hic vero quid? Nunquid ei capabile est *qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa* non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, *sine panis et sine vini substantia*, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto, vel hæc accidentia in quo nata sint sine subjecto? Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. *Ratio hic totum ignorat, sed fides præsumit quod ratio non capit.* Ex rationis defectu proficit fides. Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. Quo autem hic

A ratio infirmior, eo fides fortior. Quo ratio hic minus vel nihil operatur, eo fides plus vel totum operans amplius meretur. Libenter igitur ratio hic succumbat, ut fidei meritum accrescat. Non invidet fidei merito, quia quod fides meretur, non meretur sibi ipsi, sed potius rationi. Fides enim evacuabitur [*supp. forte charitæ, aut ratio*], permanebit et merito fidei promovebitur. Fides non nisi in via, ratio autem erit et in patria, et ibi plena. Fides seminat, sed ratio metet. Pro merito fidei ratio remunerabitur, quia ad meritum quodammodo cooperatur, et non nihil, imo multum meretur. Meritum enim rationis est, quia se simplicitati non præfert fidei; non nititur præcedere, sed sequi. Quod si hoc non potest, non tamen contradicit, non inicitur suæ virtuti, sed gratiæ Dei. Cedit gratis, palmam concedit fidei; dat gloriam Deo constans ipsum potest facere [*f. melius ipsum posse facere*] quod ipsa non potest capere. Potissimum vero circa hoc sacramentum suum **1107** experitur et agnovit defectum omnimodo, nisi quia vel hoc videt esse rationabile, ut in Dei secretis homini ad credendum traditis, **1108** quod penetrari non potest ratione, non tamen excidat fide.

IN LIBRUM SEQUENTEM BREVE MONITUM.

Librum hunc De expositione missæ eruimus e manuscripto Colbertino, optimæ notæ et sexcentorum circiter, ut conjicere potuimus, annorum, n. 6101. Ex hoc autem initium Expositionis missæ, a Melchiore Hittorpio Colonis editæ anno 1568, e vetustis codicibus, quos non designat, desumptum esse manifestum sit, ex verbis scilicet ejusdem ipsissimis, usque ad Introitum missæ, a quo sunt omnia omnino diversa. Hanc autem eo probabilius Hildeberto tribuendam esse duximus, quo magis allegorias Hildeberto familiares sapit, et majorem habere videtur affinitatem cum cæteris ejus de sacra eucharistia poematibus, quorum præcipuo (quod huic Expositioni consequenter atteximus), et indubitanter Hildeberto in omnibus editionibus, et etiam ab ipso Hittorpio tributo, in sua illa auctorum de divinis officiis collectione, immediate subjungebatur in præfato manuscripto Colbertino 6101. Hanc porro præparationis methodum ad finem hujus ms. positam, ut ad rem opportunius, in ipso initio ponendam esse duximus.

VEN. HILDEBERTI

LIBER

DE EXPOSITIONE MISSÆ.

(E. ms. Colbertino, n. 6101. Nondum editus).

Qualiter se præparare debeant sacerdotes, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt.

Fugienda est sacerdotibus, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt, superbia, invidia, detractio, murmuratio, odium, cupiditas, avaritia. Unde dicit Apostolus, quoniam qui talia agunt, « regnum Dei non possidebunt (I Cor. vi, 10). » Vitanda sunt et levia, et venialia peccata, in quantum possibile est humanæ naturæ, et præ-

C stiterit gratia divina. Debent summopere amplecti castitatem, et continentiam studere. Si laicus, ut quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali; dicit enim Apostolus: Nolite fraudare invicem, nisi ad tempus, ut vacetis orationi (I Cor. vii, 5); » ergo sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; ergo laico semper carendum matrimonio.

« Qui enim manducat et bibit indigne, judicium